

& 27. Ergo Circumcelliones fuerūt inter eos immanissimi.

4 *Maximianus.*) Hanc Historiam & schisma Donatistarum sæpe repetit Augustinus, & extat in libris aduersus Petilian. literas: sed maximè lib. 3. contra Cresco. cap. 27. & 28.

CAPVT LXX.

Priscillianistæ cur sic dicti. Ex quibus erroribus conflati & nati. Erroris autem eorum capita septem enumerantur.

Prisillianistæ¹ quos Hispania Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum & Manicheorum dogmata permixta sectantur. Quauis & ex alijs heresibus in eas sordes tanquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes, & turpitudines suas habent in suis² dogmatibus & hæc verba,

Iura, periura, secretum prodere noli.

Hi animas dicunt, eiusdem nature atque substantie cuius est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum per septem celos, & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo mundum hunc factum volunt, atque ab hoc principe per diuersa carnis opera seminari. Astruunt etiã fatalibus astris homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi qui Mathematici vulgò appellantur, constituentes in capite Arietem, Taurum in teruice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde

bb. i.